

Dr. HIERONYMI  
PANTZSCHMANNICI  
IN MOCKERITZ ET  
IESNITZ.

DECLARATIO

PRÆCIPUA  
RVM QVÆSTI-  
ONVM

CIRCA MATERIAM  
Locationis conductionis, & casuum for-  
tuitorum, non modo in foro sed etiam  
scholis occurrentium, accura-  
tissima & perutilis.

*Est conformis ad  
Expun. de 1620.  
Per Comig. del S. off.  
Joh. de Salmango*

IENÆ

Sumptibus Henningi Grossij Bibli. Lips.  
ANNO MD. C. XCVI.

*Cum Privilegio.*

Col. Soc. I. S. Salm. ex dono Regum.





POTENTISS. ET INVICTISS. IMPERATORI D. RUDOLPHO II. HUNGAR. BOHEM. & C. REGI, ARCHIDUCI AVSTRIAE & C. DUCI BURGUNDIAE & C. AVGVSTO, OPT. MAX,



INTER PLVRIMA ET MAXIMÈ singularia Sacro Romano Imperio (quod ab Augusta Maiestate tua, Rudolphe Cæsar, felicissimè regitur) diuinitus concessa ornamenta, illud certè non postremum obtinere locum censendum est, quod eo iure in omnibus eius partibus tam pu-

blicè quàm priuatim viuatur, quo melius æquius nulla gens, nulla natio, nulla quantumuis optimè constituta Respu. vllò vnquam tempore habuit.

Repetatur sanè ab omniæuo Imperiorum maximè Illustrium memoria, pleraq; sine certa lege, sine scripto iure manu (quod dicitur) Regia aut paucorum quorundam arbitrio specie æquitatis (sub qua perniciosè sæpè errari ICtus testatur) administrata fuisse deprehendemus. Quod si in his quædam occurrent, quæ cum iure nostro Romano cognitionem aliquam habeant, ea & pauca sunt & talia vt cum pulcerrimo & splendidissimo hoc corpore collata vix obscure alicuius stellæ locum obtinere posse videantur.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quando dicatur Sterilitas existere; Et conductor magno incommodo affici; Vt in contractu Locationis & conductionis Exoneratio mercedis promissæ locum habeat? Et utrum in Remissione inuenda, rerum omnium, simul & coniunctim, an verò separatim ratio sit habenda pulcra & non inutilis Disputatio.*

## S V M M A R I A.

1. Sterilitas dicitur exorta, quando non percipitur Semen, Ex sententia gl.
2. Sterilis Res dicitur, quæ fructum non fert.
3. Glossæ opinio refellitur.
4. Casus consideratur, & lesio fructuum, circa sterilitatem æstimandam.
5. Remissio fit pro Rata. Ergo seminis solam Rationem non habendam.
6. Intellectus ad L. si vno. §. vbiunque. Et §. sed etsi labes. Locati.
7. Sterilitas dicitur ex sententia Bartoli exorta, si contigerit tanta calamitas in fructibus, vt deductis sumptibus & expensis, in Rem conductam factis, conductori nihil supersit.
8. Fructus non dicuntur, Nisi deduct. Expensis.
9. Conductor videtur tacite emere fructus futuros sub conditione, si nascentur.
10. Conductor non aufertur immodicum Lucrium.
11. Secunda sententia fuit Bartoli putari sterilitatem dici, Quando tanta contigerit calamitas, vt deductis sumptibus, atque Expensis, Conductor nihil supersit: Quæ opinio Bartoli hic reprobat.
12. Tertia sententia est tenentium, sterilitatem dici tueri, quando resultat deceptio infra dimidium iustæ mercedis.
13. Tertia hæc opinio refellitur.
14. Remedium L. 2. De Rescind. vend. fuit incognitum de Iure Digestorum.
15. Quarta opinio refertur existimantium, sterilitatem obtingere, & ob id  
Remissio

## Q V A R T A

*Remissionem fieri, Quando non colligitur dimidia pars fructuum, qui  
alioqui consueti erant.*

16. *Differentia huius opinionis à præcedente.*
17. *Reprobatur hæc quarta opinio.*
18. *Quinta opinio ex stimantium sterilitatem dici, quando percipitur tertia  
pars minus, quam aliàs solitum erat percipi. Atque hanc senten-  
tiam probavit Didac. Couar. nu. 22.*
19. *Alexander putat, Quando quarta pars minus sit percepta, remissionem  
esse faciendam.*
20. *Magnum damnum dicitur, quando quis læsus est, in sexta parte.*
21. *Quinta opinio refutatur.*
23. *Sexta opinio fuit eorum, qui sterilitatem ex opinione vulgi dijudicarunt.*
24. *Hæc opinio impugnatur.*
25. *Casus spectandus non opinio vulgi.*
26. *Probatio ab opinione vulgi est dubia, incerta, & erronea. At probatio  
debet esse certa, & concludens.*
27. *Septima opinio Iacobi Butrigarij, Qui putauit iudicis arbitrio esse relin-  
quendum, utrum acciderit sterilitas nec ne.*
28. *Arbitrio iudicis relinquitur, quæ nam dicatur gravis iniuria.*
29. *Septima hæc opinio quoque rejicitur.*
30. *Octaua opinio refertur, quæ est eorum, qui opiniones in concordiam redu-  
cere conati fuerunt.*
31. *Et hæc itidem opinio refutatur.*
32. *Auctoris iudicium super questione proposita.*
33. *In quantitate dijudicanda, ad arbitrium iudicis recurrendum.*
34. *Impensæ an modicæ, an verò magnæ sint, relinquitur arbitrio iudicis.*
35. *Magnum aut parum, Quando non est in iure definitum, relinquitur ar-  
bitrio iudicis.*
36. *Locationis & conductionis contractus, non vno momento expeditur, sed  
habet tractum successiuum.*
37. *Ad fructuum lesionem dijudicandam, Non vnius rei, ex qua fructus  
precipiuntur, ratio habetur sed omnium rerum conductarum fructus  
computantur.*
38. *In prædijs vrbani sit remissio pro rata temporis, qua conductor habitauit.*

**I**N MATERIA STERILITA-  
tis dijudicanda, maxima initio pugna inter  
iuris nostri interpretes oritur, Quando di-  
catur euenisse sterilitas, & quidē tam acri-  
ter pugnatū est, vt in octo diuersas partes fu-  
erit discessum, Et vtra victrix extiterit, adhuc sub iudice lis-  
pendeat.